

tangi commoverique oportet, ut quae illius sunt nostra esse, ipsique affligi, si quid illi mali accidat, putemus. Nunc quid est quod nos non dicam tanto, sed vel aliquo amore Orestis et Electrae impleat? Non mehercule caedes matris: nam haec impium est atque abominandum facinus, quod ipsi non possumus quin capitis poenam meruisse confiteamur. Quid ergo reliquum est? Sine dubio pietas erga patrem, quae eos impulit, ut eius interfetricem, quamvis mater esset, occiderent. Haec pietas, hic amor patris, coniunctumque cum eo iustum matris et adulterae et mariti interfetricis odium si nobis in principio fabulae ante oculos posita essent, ut iisdem et ipsi sensibus affecti illos non modo ut inson-tes, sed etiam ut iustos nefandi sceleris ultores omni animorum consensione amplecteremur, tum demum et cum iis et pro iis metueremus, cuperemusque anxie ut supplicium quod iis imminet effugerent. At horum nihil factum est, sed Orestem aegrotantem et insipientem, Electram autem sollicite in curando fratris morbo occupatam videmus: quae miserabilia quidem sunt, sed nihil pertinent ad imminens ab iudicio periculum. Ita metus, quo corripiamur, nullus est, sed eius loco sola relinquitur expectatio, num patruus Menelaus, in quo salutis spem positam esse audimus, pro reis sit intercessurus. Atque habebat ille quidem ut id faceret magnum incitamentum, quod propter fratris sui caedem iratus esse Clytaemnestrae, iusteque eam interfectam fateri debebat: verum illa ipsa fratris interfetrix non solum impie occisa erat a filio, sed erat etiam soror Helenae, ut ne hanc quidem caedem impune patratam esse vir uxorius cupere deberet. Itaque non poterat non valde dubia spes esse, quae poneretur in homine paria in utramque sententiam argumenta habente. Ac videtur ille quidem se initio